

Universitätsbibliothek Wuppertal

Scholia graeca in Aristophanem

Dübner, Friedrich

Parisiis, 1842

Vorwort des Herausgebers (Friedrich Dübner)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5255)

PRÆFATIO.

Scholorum veterum in Aristophanem, quæ non prostabant nisi multorum voluminum collectionibus Beckii Bekkerique inclusa, parabiliorem librum emittere decreveramus, quum GUILLIELMUS DINDORFIUS magnis in hunc comicum meritis cumulum addidit scholorum illorum editione critica et ceteris omnibus multo locupletiore. Is enim non solum vetustissimos omnium et præstantissimos codices, Ravennatem et Venetum, denuo excutiendos, sed alios quoque non paucos cum Aldinis scholiis conferendos curavit, Suidam hæc scholia expilare solitum diligentius quam ceteri tractavit, indagavit novitiorum additamentorum fontem et origines, omnia denique suæ criseos luce aut illustravit aut correxerit. Putavimus autem demereri lectores nostros ipsum potius sequentes quam nostrum qualecumque iudicium, quamquam in forma scholorum variabili multa non improbabiler adornari poterant ratione alia. Sed perpauca modo secundum optimos quos diximus codices mutavimus. Hoc tamen utilissime instituisse videmur, ut quæ absint ab illis codicibus, in ipsis scholiis significata lectoribus sine ambage indicaremus: nam ea plerumque ab recentissimis grammaticis profecta sunt et per nostram notationem primo oculorum obtuitu agnoscuntur.

In adnotatione Dindorfii excerpenda ita versati sumus, ut optimorum codicum, Ravennatis et Veneti, scripturas *integras* repræsentaremus, reliquorum *prope integras*, Aldinæ autem et subsequentium editionum non nisi potiores indicaremus. Quæcumque autem a vulgaribus editis, nulla indicata varietate, discedere reperiet lector, ea codicum omnium, certe optimorum indubitato consensu posita esse credat. Adjecimus quæ Dübnerus ex Parisinis codicibus collegerat: varietates argumentorum ex optimo libro 2712 (sive membranis Brunckii); plurima ad Nubes, Ranas et Plutum ex codice 2821 sæculi XIV integerrimo, sed recentiora

modo scholia continente; nonnulla ex codice 2820 earundem comœdiarum partes continente; denique bona multa ex Claudii Puteani apographo scholiorum antiquorum in Lysistratam, recentiorum in Thesmophoriazusas, et Bastii notas quasdam ineditas in scholia ad Plutum. Criticorum animadversionibus ab Dindorfio excerptis addidimus non pauca, resecurimus autem Hemsterhusiana nonnulla, quæ jam in alios libros satis notos transierant. Adnotationem in scholia Lysistratæ et Thesmophoriazuserum scripsit Dübnerus. Prolegomenis adjecimus capita quattuor a Cramero nuper edita. Sic utilem et gratam lectoribus qui Aristophani student operam præstitisse confidimus. Scripsimus exeunte anno MDCCCXLI.
